

actus intelligendi principaliter respicit objectum ipsum, licet objectum per sui vicariam speciem informet, ita inclinatio non ad rem vicariam tendit, sed ad id quod principale est, et per illud substitutum quæritur.

X. Ad secundam, negatur sequela. Ad primam impugnationem constat ex dictis: forma enim apprehensa ostendit practice convenientiam sui in esse reali pro isto subjecto, et quia ex omni forma nata est sequi inclinatio ad sibi conveniens, consequenter ex forma apprehensa nata est sequi inclinatio ad assecutionem ejus in reali, quia sic est sibi conveniens.

XI. Ad secundam impugnationem dicitur, quod forma apprehensa potest considerari dupliciter. Uno modo in esse qualitatis, et accidentis realiter informantis intellectum, sicut reliquæ formæ naturales sua subjecta: alio modo in esse apprehensivi, quatenus medio actu, et cognitione intellectus objectum trahit ad se, et de se convenientiam vel disconvenientiam ejus ad ipsum subjectum repræsentat. Primo modo nascitur appetitus innatus ad formam illam intelligibilem, quia sic per modum naturæ ab ea afficitur, et perficitur, et consequenter eodem modo appetitur ab ipso intellectu, quia appetitus iste innatus non est aliud quam ipsamet proportio, et motus, seu tendentia naturæ ad id quod sibi conveniens est. Secundo autem modo nascitur appetitus elicitus, qui actu producto, seu elicitus ab appetitu tendit ad id quod repræsentatur ut conveniens non solum ipsi intellectui, sed et toti subjecto. Et hoc ideo, quia forma apprehensa non actuat, et informat intellectum per modum naturæ, et per modum inhærentiæ accidentis, sed mediante actu apprehensionis; et sic in quantum est forma apprehensa

in sensu formali loquendo, scilicet prout actuat in esse apprehensivi, quod est actuare medio actu apprehensionis, et non solum per modum naturæ, et inhærentiæ, fundat etiam appetitum per modum actus tendentis ad objectum. Et sic verum est quod omnis appetitus, qui sequitur ad formam apprehensivam, est appetitus elicitus quia sequitur ad ipsam ut informat apprehensive, et non naturaliter, et informare apprehensive, est informare medio actu apprehendente, et eodem modo sequitur appetitus medio actu elicitus, non solum ad appetendum pro ipso intellectu, sed etiam pro toto subjecto, quia in apprehensione omnis ista convenientia repræsentatur. D. Thomas autem processit in hac consequentia valde formaliter loquens de forma apprehensa, prout apprehensa, et in esse apprehensivo, id est, mediante apprehensione repræsentans, non in esse naturali informans. Et sic recte intulit appetitum elicitum.

XII. Ad tertiam impugnationem, concedimus voluntatem esse potentiam inclinativam totius supposito, et ad omne id quod convenit toti supposito, ut bene D. Thomas ducit, 1 p. q. LXXX, a. 1. Et hoc ipsum facit actu elicitus. Et utrumque optime ducit D. Thomas, ex intellectu ut informato forma intelligibili, non supponendo dari ipsam potentiam voluntatis, sed inferendo illam, quia ipse intellectus est potentia non solum intelligens sibi, sed toti supposito, nec aliquid solum determinate, sed quodlibet ens, et hoc per formam intelligibilem, per quam fit in actu sub ratione apprehensi medio actu cognitionis. Unde optime infertur: ergo appetitus qui ad tales formas intelligibiles sequitur, debet esse universalissimus, quia non sequitur ad formam determinatam, sed ad intellectualitatem, quæ

fit in actu per omnes formas intelligibiles universalissime, et sic extendere se debet non solum ad appetendum sibi, sed toti supposito, et ad omne conveniens sibi, quia ad omnia hæc se extendunt formæ intelligibiles. Et secundo, ergo id debet esse mediante appetitu elicitus, et consequenter mediante potentia eliciente, quia forma ad quam sequitur est forma apprehensa sub ratione apprehensi, et hæc non informat modo naturæ, sed mediante actu apprehensionis, et sic inclinatio, quæ ad eam sequitur, non debet esse per modum naturæ, seu appetitus innatus, sed mediante actu elicitus: formæ enim proportionatur inclinatio ex illa secuta.

XIII. Ad tertiam respondetur, quod propositio D. Thomæ intelligitur absolute, et universaliter absque ulla restrictione, ita hoc complectitur tam formam propriam, qua res constituitur, quam adventitiam, et superadditam: sed tamen respectu propriæ formæ constituentis si jam habetur in esse reali, non tendit appetitus quærendo acquisitionem ejus, sed quiescendo in acquisita et tendendo aut procurando conservationem ejus si contingens, et incerta sit, ut in re corruptibili. Adventitiam autem formam potest etiam appetere, quærendo illam, si desit: si vero forma nondum habetur in esse reali, sed solum in intentionali, sicut per speciem intelligibilem, apprehenditur etiam id quod nondum habetur, tunc poterit ex tali forma nasci appetitus ad acquirendam formam in esse reali, quia licet forma intelligibilis, et objectum repræsentatum non ponant in numero objective, quia tamen in diverso statu est in esse intentionali, quam reali, potest qui solum habet formam in uno statu appetere illam in alio, etiam quoad sui acquisitionem, sicut habens formam in primo esse, po-

test appetere in conservari, et ad id tendere.

XIV. Ad quartam respondetur, quod etiam dato, non concesso, quod voluntas possit suspendere omnem actum posito objecto apprehenso, de quo in 1-2, disputabitur Deo dante, et concesso etiam quod stante cognitione, et objecto apprehenso possit Deus suspendere suum concursum, ne sequatur ulla inclinatio actualis in appetitu, adhuc ratio D. Thomæ subsistit, quia cum probat dari inclinationem appetitus, ex eo quod datur forma intelligibilis in intellectu, id procedit quantum ex natura, et meritis talis formæ, et hoc sufficit, licet in nobis possit impediri exercitium talis inclinationis, ita ut de facto non sequatur actus impetitus ex aliquo impedimento, aut cessatione causæ, a cujus influxu dependet, sine quarum causarum præjudicio loquimur, quando dicimus ad formam sequi inclinationem: non enim removemus, sed supponimus alias causas a quibus talis inclinatio dependet, et per quarum remotionem potest impediri, sicut ad lapidem sequitur gravitas, ut ad gravitatem motus deorsum, ut appetitus innatus, nisi impediatur ab aliquo extrinseco.

ARTICULUS II.

An ratio potentiæ et actus primi in voluntate Dei possit admitti.

1. Voluntas Dei potest comparari tum ad actum volendi, tum ad res procedentes per voluntatem: per voluntatem enim divinam procedunt ad extra creaturæ (*Operatur enim omnia secundum consilium voluntatis suæ*, ad Ephes. 1.) et procedit ad intra Spiritus sancti qui est amor Patris, et Filii, sed creaturæ per creativam potentiam, Spiritus sanctus per spirativam, quæ est commu-

nis Patri et Filio. Respectu ergo rerum procedentium a divina voluntate, sive nationaliter ad intra, sive essentialiter ad extra, vera et propria ratio potentiæ salvatur in Deo. De potentia creativa expresse id docet S. Thomas infra q. xxv, a. 1 ad iii. « Salvatur, inquit, in Deo ratio potentiæ quantum ad hoc quod est principium effectus. » De potentia notionali dicit infra q. xli, a. iv : « Potentia ad actus notionales non dicitur in divinis per respectum ad aliquam personam factam, sed solum per respectum ad procedentem personam. » Et hujus ratio est, quia respectu rei procedentis tamquam terminus processionis, potentia, seu principium importat perfectionem simpliciter, quia comparatur ad terminum a se distinctum, non ut perfectibile ad perfectionem sui, sed ut id cui communicat perfectionem. Communicare autem perfectionem, magna perfectio est. Unde si potentia respectu sui termini a se procedentis nihil aliud importat, quam principium communicativum perfectionis, simpliciter respectu illius salvatur ratio potentiæ in Deo.

II. Difficultas est, an possit intelligi, et salvari in Deo ratio potentiæ respectu ipsius actus secundi, et non solum respectu termini procedentis. Et non est difficultas de potentia realiter productiva actus, id est, a qua actus realiter dimanet, quia constat in Deo actu non dimanare realiter, alias distingueretur realiter a suo principio, seu potentia. Non distinguitur autem realiter actus intra Deum a Deo, quia quidquid intra Deum est, substantia Dei est, et actus nominat perfectionem absolutam, quæ non habet aliquid relative oppositum, a quo distinguatur. Sed difficultas est an detur potentia distincta ab actu distinctione sola rationis, sicut alia

attributa distinguuntur inter se, et ab essentia, licet identice sint unum, ita quod in eadem entitate cum fundamento in re possimus distinguere munus, seu perfectionem potentiæ per modum actus primi et fundamenti ipsius actus, et munus ipsius actus secundi, sicut in nobis datur intellectus et actus intelligendi, voluntas et actus volendi ita transferantur ista duo in Deum, semotis imperfectionibus distinctionis realis.

In hac difficultate sunt duæ extremæ sententiæ, et duæ mediæ.

III. Prima extrema negat rationem potentiæ, et actus primi Deo, etiam in voluntate, tam secundum rem, quam secundum modum intelligendi, non solum in ordine ad actum essentialem, sed etiam in ordine ad actum notionalem, et ad actum liberum.

Fundamentum est, quia potentia comparatur ad actum secundum, ut perfectibile ad suam perfectionem, ita quod potentia non solum dat perfectionem actui, sicut termino a se producto, et procedenti, sed etiam perficitur ab ipso, quia constituitur in actu secundo, et ultimo per illum qui est simpliciter perfectio ipsius potentiæ, et actus primi. Non ergo est possibile distingui istos duos conceptus in Deo, potentiæ, seu actus primi, et actus secundi, nisi relinquendo unum ut minus perfectum alio, et ut perfectibile, et in potentia ad ipsum, quod repugnat cuicumque conceptui actus puri, qui est summus actus. Itaque duas perfectiones bene possumus in Deo distinguere, quamlibet in suo genere, et concipiendo utramque per modum actus puri, et summi, quorum una non concipiatur ut perfectibile ab alia, sed utraque ut perfectio, licet una concipiatur sine alia, sicut concipitur justitia, et misericordia, immensitas, et æternitas, et reliqua

attributa; omnia enim hæc induunt rationem actus summi, et puri in suo genere, licet nos unico conceptu totum illud non possimus adæquare. Cæterum concipere unam perfectionem per modum actus primi, et aliam ut actum secundum ejus, frangit conceptum actus puri, et summi, quia actus primus ex intrinseco conceptu non est summus, cum sit actualis per secundum: ergo non summus actus.

IV. Confirmatur, quia potentia hæc si ponitur in Deo, debet poni ut potentia realis, non ut ficta, sic enim non esset potentia, sed chimæra potentiæ, licet realiter non distinguatur, sed identificetur actui. Potentia realis non potest poni nisi determinata, scilicet vel activa, seu productiva, vel passiva. Productiva realiter actus in Deo poni non potest, cum realiter volitio non emanet in Deo. Passiva realiter multo magis est facta in Deo: ergo. Pro hac sententia videntur stare omnes qui negant in Deo dari intellectum per modum actus primi, sed ipso intelligere, qui est actus secundus constitui quos retuli, et secutus sum, tomo præcedenti, d. xvi, a. 1. Sed in specie negat potentiam in Deo ad omnes actus, etiam notionales, p. Herice 1 p. tract. 1, d. 11, c. 11, § 11, et tract. 11, d. 11, c. 1, qui citat Aureolum, et Gabrielem.

V. Secunda sententia extrema docet in Deo esse admittendum conceptum potentiæ, et actus primi, non solum ad actus notionales, vel ad extra, sed etiam ad actus essentiales, nec solum esse actum primum in Deo virtualiter, aut eminenter, sed etiam formaliter. Hanc sententiam tenentur a fortiori tueri, qui in intellectu divino ponunt intellectualitatem, ut principium, vel potentiam, seu radicem intelligendi. Sequitur eam in specie p. Marcon 1 p. tract. 11 de voluntate Dei,

disp. 1, c. 1, citatque pro se Durandum, Henriquez, Scotum, p. Ruiz tomo de voluntate, disp. 11, sect. 1, n. v, m. Gonzalez 1 p. d. L, sect. 11, n. 11 et xv. Sed de sententia Gonzalez quænam sit, statim dicemus.

Fundamentum hujus sententiæ est oppositum primæ, quia illa ratio actus secundi, et potentiæ ad actum volitionis non dicit imperfectionem aliquam: ergo non est Deo negandus, nec ullo modo violat puritatem, et eminentiam actus puri.

VI. Antecedens probatur, quia in Deo datur conceptus naturæ constitutæ antecedenter ad volitionem, si quidem constituitur per intellectualitatem in actu puro, seu per ipsum intelligere, ut late ostendimus præcedenti tomo, disput. xvi citata, sed natura secundum conceptum naturæ condistinctum a sua operatione non potest concipi nisi per modum principii, et actus primi radicalis: operatio autem cujus est principium concipitur ut actus secundus ejus: ergo non repugnat Deo conceptus principii, et actus primi respectu actus secundi, si quidem non repugnat distinctus conceptus naturæ, et volitionis tamquam operationis ejus. Si ergo non repugnat actus primus radicalis, cur repugnabit formalis, et per modum principii proximi, seu potentiæ?

Secundo probatur idem, quia datur in Deo formalis potentia ad actus notionales, v.g. ad generationem et spirationem, ut expresse fatetur D. Thomas 1 p. q. xli, art. 11, et cum eo theologi communiter, si quidem intelligimus Patrem ut principium generationis, seu originis Filii, principium autem generandi est potentia generandi. Sed isti actus notionales non minus sunt actus immanentes, quam ipsa volitio, et intellectio, cum producant suos terminos intra, scilicet Filium, et Spi-

ritum sanctum, et se habent ut actus secundus talis potentiae, generativae, et spirativae: ergo si in notionalibus non repugnat dari in Deo potentiam condistinctam ab actu secundo, cur repugnabit in essentialibus nostro modo intelligendi.

Tertio, quia etiam actio productiva creaturae est actus secundus omnipotentiae divinae, qua redditur actu operans, et tamen potest nostro modo intelligendi distingui ista potentia ab illo actu secundo: ergo non repugnat in divinis distinctio duorum conceptuum, quorum unus sit actus primus seu potentia, alius actus secundus. Minor est expressa S. Thomae infra q. xxv, a. 1 ad iii, ubi dicit quod: « Secundum modum intelligendi, divina essentia, quae in se simpliciter prae-habet quidquid perfectionis est in rebus creatis, potest intelligi, et sub ratione actionis, et sub ratione potentiae. » Denique, idem probatur quia divina essentia vere, et proprie habet rationem objecti, et speciei intelligibilis, a quo tamquam a principio objectivo intelligitur procedere actus, licet actus non distinguatur ab objecto, quia scilicet habet Deus in se quidquid perfectionis est in objecto, et in actu: ergo eadem ratione dicetur habere rationem potentiae vitalis ad actum, licet non distinguatur ab illo, quia habet quidquid perfectionis est in potentia vitaliter producente, et in actu. Et parum obstat, quod potentia in Deo non dicatur principium productivum, sed producens actu; nos enim non volumus ponere in Deo potentiam separatam ab actu, sed identificatam illi, vere tamen habentem rationem potentiae, imperfectionibus semotis. Ad idem faciunt verba Justini martyris q. iii ad Graecos, ubi loquens de voluntate divina, dicit: « Quae differentia est potentiae ad actum, ea est volunta-

tis ad velle. » Ponit ergo aliquam distinctionem inter actum volitionis, et potentiam.

VII. Inter has extremas sententias sunt duae mediae.

Prima est p. Suarez in met. disp. xxx, sect. xvi, a n. viii, qui docet voluntatem habere rationem potentiae in Deo respectu volitionis notionalis, seu spirationis: respectu vero volitionis essentialis negat voluntatem habere rationem potentiae, sive respectu volitionis liberæ, sive necessariae. Et licet ibi etiam doceat non dari in notionalibus potentiam secundum rem ad actus, quia hi non distinguuntur a potentiis, sed ad personas productas, tamen libro sexto de Trinitate, c. v, n. 1 absolute cum communi sententia theologorum concedit potentiam realem ad actus notionales.

VIII. Altera sententia media est p. Arrubal i p. disp. xlix, c. ii, quae non paucis recentioribus arridet, qui negat potentiam formalem in Deo respectu volitionis, dicit tamen esse virtuaalem propter distinctionem rationis inter actum, et potentiam divinam, nostro modo concipiendi. Vocatur virtualis potentia illa entitas, quae cum sit una et eadem cum actu secundo, habet tamen propter eminentiam suam, vim potentiae, et gerit munera, seu vices plurium entitatum: quotiescumque enim aliqua entitas una existens admittit praedicata contradictoria, aut plura, dicitur esse virtualiter multiplex, quia contradictio in nobis est principium pluralitatis formalis; in Deo autem, quia evincere non potest purissimam ejus simplicitatem, ut dividat eam, saltem eminentiam ponit, quae eadem entitas vice plurium fungitur, et illa functio plurium, non divisio, virtualiter pluralitas vocatur. Sic paternitatem, et essentiam virtualiter realiter distinguimus, quia eadem entitas sus-

cipit praedicata contradictoria, ut realiter communicari qua natura, non communicari qua paternitas. Eodem modo invenitur ex duplici capite distingui virtualiter volitio a voluntate; primo quia in Deo salvamus quod moveatur, seu determinetur a sua cognitione: non movetur autem volitio, quia haec est formaliter ipsum velle, nec determinari, et moveri indiget ut velit: movetur vero voluntas pro potentia: ergo distinguuntur. Secundo, quia posse amare etiam creaturas non est liberum praedicatum in Deo, amare vero in actu, liberum: ergo est sufficiens fundamentum distinguendi ipsum posse a velle.

IX. His opinionibus mediis aggrego illam, quae dicit in Deo esse potentiam voluntatis logicam, non physicam: est autem logica potentia nil aliud quam non repugnantia qua aliquid dicitur possibile, et ita est idem quod possibilitas actus, non potentia influxiva, seu causativa actus. Est autem potentia physica, vis aliqua causativa alicujus actus, quae radicaliter est in ipsa natura, vel substantia rei operantis, proxime et formaliter in ipsa virtute elicente, quae determinat substantiam de se indifferentem, aut non immediate potentem ad actionem talem, vel talem. Et licet in Deo non sit aliud principium operativum quam ejus substantia, hoc tamen ideo est, quia ejus substantia seipsa habet omnem vim et determinationem, quam nos habemus per duas entitates, substantiam et potentiam; unde non deest Deo perfectio, et vis potentiae, sed duplicatio entitatis, et imperfectio. Haec ergo sententia negat voluntati divinam potentiam physicam, logicam concedit, id est, possibilitatem actus, non vim influxivam in actum. Ita M. Gonzales, in praesenti disputatione I, sect. ii. Sequitur

THEOLOGIA III.

p. Ruiz tomo de voluntate, disp. i, sect. i, n. xix.

MENS D. THOMÆ.

X. Ut a clarioribus incipiamus, haec ultima sententia de potentia logica, non physica, relinquenda est, non quia falsa, sed quia non ad rem. Non est dubitatio praesens de possibilitate divinae voluntatis, aut volitionis, sed de potentia physica, quae est vis influxiva in actum. Nam de possibilitate constat, quod est potentia ad esse, non operari, dicitur enim aliquid possibile ut sit, potentia autem physica, de qua agimus in praesenti est vis, seu virtus operativa. Non inquirimus autem nunc, an in Deo sit possibilitas ad esse, nec volitio divina, an habeat possibilitatem ut sit, cum constet non esse impossibilem, sed omnino possibilem, cum sit ipsum esse per essentiam, sed an sit in Deo voluntas per modum potentiae operativae et influxivae in volitionem. Et sic impertinenter divertit ista sententia, et inflectit dubium propositum de potentia, quae est vis physica ad possibilitatem logicam, quae est posse ad essendum, quasi dicatur quod in Deo datur posse velle, id est, possibilitas ipsius volitionis, non autem posse, id est, potentia, seu virtus influxiva in volitionem, quod solum in praesenti quaerimus.

XI. Confirmatur, quia hac ratione non solum in voluntate, seu in actu secundo intellectus, et in actu secundo ipsius existentiae, et in quocumque actu secundo quantumvis abstracto, et praeciso ab actu primo, imo in quocumque attributo Dei datur istud posse, quod est non repugnantia, seu possibilitas logica; nam etiam intelligere quod est actus secundus, non repugnat